

Bibliothèque numérique

medic@

**Folliot De Saint Vast, Luc-Augustin -
candidat / Vandermonde,
Jacques-François - président. - An
infirmis à morbo viribus reparandis
Gin Seng ?**

1736.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2328 n°15***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax07x0015](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax07x0015)

15.

D. O. M.
QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis nono mensis

Februarii anni M. DCC. XXXVI.

M. JACOBO FRANCISCO VANDERMONDE,

Doctore Medico, Præside.

An infirmis à morbo viribus reparandis Gin Seng?

I.

VIRIUM integritas, sanitatis signum & effectus. Imbecillitas, morbi symptoma. Non hujus semper causa eadem; hanc aliquando Plethora, Cacochymia sapius inducit, ab utrâque virium imbecillitas. Quæ à Plethorâ, apud Medicos, vero nomine oppressio audit. Quæ à Cacochymia, dissolutionem merito appellaveris. Caco-chymia sæpè à concretionem, interdum à dissolutionem; alterutra vitiet sanguinis cras-simum interest; ex utrâque perit virium integritas & firmitudo quæ à solida inter & fluida reciprocando motu pendet. Hæc liquorum & vasorum perennis, æqua, lenis-que agitatio, secretionem & excretionem absolvit, undè nec redundans, nec vitiosum quid in corpore superstes. Secretionem hanc necessariam in primis agnosce, quâ fe-riante aut remittente, morborum ingruit cohors. Diaphoresim intellige, hæc inter-clusâ morborum. irruere iliadem qui dubitat, affectus rheumaticos explore, in quibus ut plurimum nullam tum intimam, tum extimam partem, doloris proindeque læsionis immunem videas. Non aliam tot tamque gravium symptomatum causam, præter perspirationem imminutam, ratio & experientia commonstrant. Quid mirum! hæc viâ major excernendorum funditur copia, quàm cætera, quot quot sunt, simul supplere valent incernicula! At undè tanta possit perverti functio forsitan quæsieris? quibus organis peragatur, perpende; hanc facile præcludi posse lubens fateberis. Adeo cutis spiracula numero infinita, per quæ succi nutritii residuum secernitur sub formâ vaporis ita tenuis ut sensus fugiat, levi de causâ, venti, frigoris, humidæ tempesta-tis, occludi solent: nec mireris tantum succi nutritii ex partibus quibuscumque redun-dare, quid enim nutritio nisi partium deperditarum restauratio, aut nondum per-fectis accretio? inde in adultorum ætate consistente, partibus non deperditis, nimium addere ope cibi & potûs, grande nefas; hinc ad ætatem usque consistentem minùs homo perspirat. Perspirationem eam habe legitimam, quæ, coctione ritè peractâ, omnia nutritioni supervacanea foras liberè amandat; at nisi coctione facili alimentorum, hanc obtineri credideris. Hinc ut ritè cedat, assumptorum tum quantitatis, tum qua-litatis semper habe rationem, alias citò corrumpet corporis æconomia, citò labascent vires propter imminutam diaphoresim, quam sola restituta coctio valet reintegrare.

I. I.

VIRIUM jactura vel alimonie defectu, vel nimio humorum utilium dispendio, vel pravâ ciborum coctione, vel sanguinis redundantia, provenit. Hæc vires potius oppressas quàm exhaustas repræsentat, solâque liquidorum redundantium de- tractione amovenda. Alia quævis deficientium adjectione dissipatur, quæ pravæ co- ctionis est effectus, diætâ & remediis quæ coctionem juvant & restituunt curatur. Non eandem læsæ coctionis causam esse, imò sic diversam putes, ut sapius, nisi Medico sagaci, vix innotescat; ideo eam curandi & anceps & diversa methodus. Imbecillitas ventriculi à fibrarum & glandularum laxitate orta, undè stomachalis saliva uberior dilutiorque, ciborum massam ventriculo ingestam abluendo potius quàm diluendo ac-

subigendo, coctionem pravam suppeditat. E contrario ventriculi fibræ atque glandulæ contractæ nimis, parcius supplendo succum gastricum eumque crassiores, alimentorum massam neque dilutam satis neque subactam, diuturniori morâ acefcentem, crudam adhuc ad intestina provolvunt. Hepate malè affecto, bilis à sanguine non secreta, salivam ac succum digestivum inficit, coctionem & chylosin pervertit. Spirituum depauperatio, sive propter inediam diutius protractam, sive ob immodica corporis exercitia, seu propter animi diuturnum mœrorem, seu propter humorum utilium nimium dispendium, coctionis læsæ non rara causa. Has prout diversas tollere causas arduum sanè, satisque sæpius Medico illarum effectus emendare. Illud verè dixeris remedium, quod à quâvis causâ depravatæ coctioni restituendæ idoneum agnosces, quod coctionem juvando restituendoque, Diaphoresin refarciat integram, viresque imbecillas recreet.

III.

人生

G I N S E N G * seu *Pe Tsi* primum à similitudine suppositâ cum effigie hominis, secundum verò ab innumeris ejus proprietatibus sortitur apud *Sinas* nomen. Inter trigessimum-nonum & quadragessimum-septimum borealis gradum, ponè stupendos *Sinarum* limites, apparet longa montium series, opacitate arborum & fœcunditate graminum quibus operitur & circumdatur, hominibus quasi impervia. In collium devexitate, torrentium crepidine, circâ rupes & diversos inter cespites lignaque crescit salubris planta, nusquam in campis apertis, vallibus nec paludibus reperta: circiter mensem Aprilem germinat caulem simplicem, unius pedis altum, glabrum, ex rubro nigricantem, qui suprà medium suæ altitudinis, instar anemones, circumcingitur appositis in orbem basibus pedunculorum, quorum singuli in extremo suo gerunt quinque folia in radios digesta, aut in speciem expansæ manûs, sibi inæqualia & tenuia, oblonga & acuminata, leviter dentata & obscurè virentia: caulis desinit in umbellam, cujuslibet radii extremo, unum modò florem gerentem, completum, regularem, polypetalum, ovario innascentem; ovarium hoc, quod calycem multis acuminibus coronat, fit bacca, primùm viridis, deindè alba, & tandem rubicunda, in quâ reperiuntur ut plurimum duo semina compressa, secta quasi in renis, vel semicirculi formam, ita ut unita speciem cordis referant. Radix, calami scriptorii & aliquandò digiti parvi crassitiem adæquat, non rarò bipartita, rugosa, subflavi coloris, fibris tenuibus prædita, & circumcîrca nigris subtilissimis maculis variegata; à numero circularum successivis caulibus circumscriptorum, ejus statuitur ætas. Masticata dulcedinem non ingratam cum aliquali amaritie præ se fert, radicum liquiritiæ simul & petroselinæ gustum æmulans. *Sine* & *Tartari* eam magno apparatu & labore colligunt ineunte Vere & declinante Autumno, mundant attentè, radices lavant in decocto seminis Milii, & eas accuratè exsiccant suprà fumum ejusdem seminis in aquâ cocti, ut de flavo ejus participant colore; & ne carie humiditateve afficiantur, eas perfectè siccas, afflante Aquilone, in vasis æneis, lixivio elutis & cautè clausis recondunt. De minimis radicibus residuis faciunt extractum; folia autem tanquam *The* pro usu conservant. Aurelianam nostram Canadensem unam & eandem esse plantam, luculenter probant iidem altitudinis gradus, æquale solum, non impar montium positio, similis nemorum aspectus, & tandem inspectio pediculorum, foliorum, florum & fructuum. Si radix videatur dissimilis, quid mirum? nonne radix pastinacæ hortensis caule & seminibus ornata, toto discrepat Cœlo à pastinacâ culinæ iisdem nondum præditâ? Colligatur Canadensis propriis anni temporibus, æquali methodo exsicceetur, pari cautione asservetur, nec aspectu, nec gustu, nec etiam virtute erit *Sinensi* ablimilis. Testes sunt *Sine* qui Canadensem *Cantonem* nobiscum asportatam genuinum *Gin Seng* subito agnovère: nec desunt qui proprietates *Sinensi* æquiparandas in selectiori experti sunt. Nullum in triplici regno remedium, seu à solâ naturâ, seu ab arte quantumvis solerter paratum, plantâ *Gin Seng* efficacius reperies, hæc coctionem juvat restituitque, Diaphoresin refarciat integram viresque imbecillas recreat.

MEDICAMENTORUM vires experientia imprimis confirmat, quas à certis principiis dimanantes ex analysi Chymicâ judicaveris, sapius errori obnoxias experimentis patebit; eadem chymicus ignis extorquet principia è plantâ eduli, quæ suppeditat planta toxicalis: nec semper sapor & odori nimium crede, saporem amygdalaceum refert genuinum scammonium quod summâ virtute pollet catharticâ, dum amygdala in alimoniam cedit. Certa inest principiorum cujuslibet mixti compages, è quâ exurgit virtus, quâ solutâ aut adulteratâ, nova nascitur proles, à nativâ sic degener, ut ipsi prorsus contrarios promat effectus. Mixtum ideò quale natura edidit, exhibe, ipsimet manda naturæ, & tibi secundos votisque consentaneos edet effectus. Quæ novus Orbis seu America nuper in Medicinâ ministravit medicamina, rei stabiliunt argumentum. Cortex Peruvianus nullâ paratus arte, febris intermittens verum & nunquam laudandum satis remedium. Sima-rouba nuperrimè ad nos advectum, diarrhœæ, dysenteriae, aliorum quorumvis remediorum, quin & ipsiusmet Ipecacuanhæ virtutem eludentis, presentissimum, quotidiana declarat experientia, medicamen. Num sapor aut odor, num analysis Chymica, tantas tamque stupendas in hisce vegetalibus latentes indicavêre virtutes? Cortex Peruvianus odoris inops saporem amarum atque stypticum exhibet. Sima-rouba nec odoris nec saporis aut tantummodò modicæ amaritiei dives. Nonne innumera vegetabilia easdem sensibus exhibent dotes, quas tamen utriusque viribus, non solum inferiores, at sapius contrarias agnoveris. Undenam in his Americanis vegetabilibus virtutes? nisi in ipsorum nativo contextu, ventriculi fibras languidiore atque laxiores ad tonum revocante, hinc fibrarum restitutum robur, coctiones læsas redintegrando, secretiones ac præcipuè Diaphoresim juvat. Sic in febribus intermittens, sic in diarrhœâ & dysenteria ad tonum restitutæ ventriculi ac intestinorum fibræ alimenta firmius retinendo atque subigendo, massam alimentorum comminuunt; nec uberior & aquosior è glandulis affluit succus, at stillando irrorat, undè genuina ingestorum coctio & redundantium excretio. A plantâ *Sinensi* nec diversas nec minores obtinendi spes, si sapor credendum & odori: hic fragrantem etsi levem vim refert aromaticam; ille amaritiam dulcedine temperatam exhibet, salis essentialis, tantisper volatilis, partiumque sulphurearum resinotarumque signa & effectus, quorum consortio & amico fœdere, nervis & spiritibus recreandis, ut & fibrarum nimis laxatarum elasticitati restituendæ, aut tenstrarum nimis elateri relaxando, non impar. At quæ iisdem principiis gaudent, non eosdem semper sed & contrarios edunt effectus? Esto. Non in his eadem principiorum miscela, quam sola detegit experientia. At, inquires, ubinam, à quibus gentibus veritas accipienda? *Sinas*, *Tartaros*, *Tunkinos*, *Japonenses* aliosque Asiaticos sub diverso Sole degentes consule, apud quos post hominum memoriam usus *Gin Seng* sic invaluit, ut cuilibet ferè morbo, vel tanquam therapeuticum, vel prophylacticum, vel saltem viribus refocillandis aptum, cuilibet ætati, sexui atque temperamento exhibeant. Non apud tot tamque diversas gentes, novitatis amor; imò antiquitatis, id est per sæculorum seriem comprobati remedii meretur encomium. Si viatoribus quædam habenda fides, quotquot qui hasce immensas peragraverunt regiones, ad summas laudes in Medicinâ plantam evehunt, nec de laudibus quas Asiatici huic radici tribuunt, detrahunt quicquam. Quonam fundamento tantoperè decantetur, ab ipsomet textu *Sinensi* accipe. * In diarrhœis, dysenteriis, ventriculi & intestinorum debilitate aut depravatione, sicuti in syncope, lipothymia, paralyfi, stuporibus & convulsionibus prodest: mirum in modum refocillat nimia venere exhaustos: hominibus à morbis vel acutioribus vel chronicis enervatis, nullum huic æquiparandum medicamentum: ubi post eruptionem fractis jam viribus, subsidunt variolæ, felici cum successu in largâ dosi propinatur: tandem repetitis vicibus, vires admodum debilitatas reficit, & mirificè restaurat, perspirationem auget, blando calore senam corpora perfundit, medullam in ossibus & totam artuum compagem ve-

*
本草綱目
李時珍

PEN
SAU
KAN
MOU
LI
TCHI
SIN

4
» getat & confirmat: quin imò, addit idem textus, in agone jam constitutis, tale
» robur restituit, ut retardatâ morte, tempus & occasio eis superfit ad alia assumenda
» medicamenta, sæpèque pristinam sanitatem recuperandam.

V.

QUIS tot celebratam laudibus radicem non veram panaceam crediderit? Quis non alia, quæ in Asiaticis regionibus natura producit medicamina, inutilia prorsus? Quis non incassas Medicinæ leges, Medicique labores potius ad ingenii ornamentum quàm ad scientiæ utilitatem, non prædicaverit? Erras, non minùs quàm aliud pharmacum, artis legibus & sagacis Medici judicio, subditam agnosce. Cortex Peruvianus, Ipecacuanha, Sima-rouba in ipsismet morbis, quibus experientiâ præcipuè mederi compertum, non tamen innoxie ab Empiricis exhibentur. Minuet quoque famam *Gin Seng*, qui Medicinæ principiorum rudis, tam à suâ naturâ salubrem plantam temerariò largietur. Ab ipsismet *Sinensibus* Medicis accipe quæ ad radicis usum hortari aut detertere debeant. » Gulosis atque *Oinopotis* parùm proficua. In febribus malignis & epidemicis cum summâ cautione, & tantùm remittente febre usurpanda; in phlogisticis, hecticis atque suppurantibus, tanquàm cane pejus & angue fugienda. In hæmorrhagiis parè, nec nisi tibi priùs cognitâ causâ. » In affectibus strumosis, scorbuticis atque venereis, incassum etsi innoxie tentabis: » at languidis aut caducis vires addere aut recreare, diuturnis animi mœroribus & febribus hecticis maceratis & exhaustis, opem feres jucundam tutamque, prudentes adhibendo à scrupulo ad drachmam semissem, aquâ calidâ, horæ spatio infusam, vel in pulvere, vel in extracto, vel si mavis aliis remediis admixtam, à granis decem ad sexaginta, & certis in casibus ultra, prout requirit necessitas. » Ex medicamenti simplicitate elucet virtus, quæ semper major, quò naturam propius æmulatur. In re tam simplici tantam Energiam latere quid mirum? à principiorum legitimo & felici connubio cujuscumque mixti prodit virtus, quæ semper major, quò minùs irretita crassis, viscidis aut terrenis partibus, aut adulterata aut obruta salibus: hinc vegetaliùm tuta magis prout magis simplici amica naturæ, quàm mineralium familiâ; illudque medicamentum imprimis elige quod alimenti potius quàm Pharmaci genium redoler, quodque magis per insensiles vias naturam sublevar, quàm expurgando debilitat.

Ergò infirmis à morbo viribus reparandis Gin Seng.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Andreas-Josephus Sevon.

M. Jacobus Tram, è Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Petrus Afforty, Chirurgiæ Professor.

M. Thomas-Renatus-Gasnier.

M. Petrus Maloët, Consiliarius & Medicus Regis ordinarius, nec non Domus Regiæ Invalidorum, Ducum & Milium Academiæ Scientiarum Regiæ Socius.

M. Claudius-Antonius Renard.

M. Philippus Davier de Breuille, Dotarie Hispaniarum Regiæ, Medicus perpetuò ordinarius.

M. Guillelmus de Magny.

M. Franciscus Bailly.

Proponebat Parisiis, LUCAS-AUGUSTINUS FOLLIOT DE SAINT VAST, San-Laudæus-Constantienfis, Baccal. Medicus, A. R. S. H. 1736. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1736.